



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Richardvs Ep. 3. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

nubium promeritas vides? augebis tu numerum, si moribus matronam potius quam puellam præfiteris, & infantia senilem miscueris temperationem. Nihil, quo pares leviter exultant, amabis. Religioni risum, jocum sceleri duces. Ad honesta oculis, ad interrogata verbis. Ad necessaria manum, ad iussa gradum movebis. Sic efficiam ut trigesimo die voti compos fias. Sub hæc ita mutata est MUSA, ut sollicito parentum oculo non indigeret, ex quâ tot gravitatis peti argumenta poterant. Itaque interrogare subiit novi moris causam: quam filia nocturni visi commemoratione attonitis indicavit. Quinto inde ac vicessimo die febrî corripitur: trigesimo Deiparâ MVSAM evocantē, illa gestiens iterat, *Ecce Domina venio*, & cum voce hinc abiit; vobis quoque, qui MVSAS colitis, Ducem præbitura se, monituraque cælum ambientibus mori levitatem oneri esse. *Ex l. 4. Dial. S. Greg.*

*Vt Deum contempleris factus es; non ut humi irrepas vita tua; non ut pecudum ritu voluptate perfruaris: verius ut ad normam & institutum celestis vita tuam ipsius componas.* S. Basil. hom. 11. in Hexem.

S. RICHARDVS EP. 3. Aprilis.

**R**ICHARDVS natione Anglus fratris inopiam servilibus ministeriis voluntate susceptis, levavit, eidemque paternâ hæreditate, pactoque nobilis & opulentæ virginis matrimonio cessit. Dum litteris navaret operam, nullo certo vivendi præsidio, communi cum Sodalibus duobus pallio, vicissim scholas aditurus utebatur. In Episcopatus fastigium eVectus, cum honore, ut assolet, non mutavit morem, paupertatem à se fugientē velut

H

elapsam



elapsam bonam fortunam insecutus: aureis quippe argenteisque vasis in pauperum annonam expensis, præstare dicebatur, fictilibus, more parentis, cœnare, quàm Christum egenorum turbam præsentatum esurire. Vno pane mille homines saturavit, Deo voluntati benefaciendi facultatem suggerente. Aliquot suarum domorum incendium restrictæ ad largiendum manus vindictam est interpretatus; & quos multi convicio à se manuque rejiciunt inopes, tanquam accepturus, non daturus beneficium, ad petendum blando affatu excitabat: cujus facti rationem postulatus, illud ex divinis litteris protulit: *Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Sub mortem notum Deiparæ cultoribus carmen à Sacerdotibus lectulo adstantibus iterari voluit:

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, Et horam mortis suscipe.

Immortuus est sacræ crucis complexibus ad annum M. CC. XLV. Ex Surio.

*Dic mihi, ubi nunc amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? quid ex eis remansit, nisi cineres & vermes? Attende quid sunt, quid fuerunt? homines fuerunt, sicut tu, comederunt, biberunt, riserunt & in puncto ad inferna descenderunt.* Bern. l. Med. c. 2.

## S. IOSEPHVS POETA C.

3. Aprilis.

IOSEPHVS ævi sui Poëta clarissimus Thessalonice & Byzantii vitam egit, qualem agere Musæ amant, à mundi turbis semotam. Parnassus ei cella, lectus terra: cibus panis, potus aqua fuit nam hæc, & non mero fluere Hippocrenen noverat. Hic